

status religionis valde perfectus, requirit imprimis ea omnia, quæ ad hunc statum ex sua generali ratione necessaria sunt. Quia vero amplectitur magna ex parte, et cum magna perfectione, vitam contemplativam, postulat, quoad fieri possit, naturam et mentem huic exercitio accommodatam; non enim omnes apti sunt ad otium et quietem contemplationis, ut supra, tract. superiori, cap. 1, n. 12, ex Gregorio referebamus. Quia vero principaliter hæc religio ordinatur ad perfectissimas actiones, quæ ultra divinam gratiam multa naturæ dona, magnamque prudentiam et eruditionem requirunt, ideo in his omnibus, quoad fieri potest, magna perfectio vel dispositio ad illam, in iis qui admittuntur, desideratur. Denique, quia difficile est hæc omnia in unum conjungere, et nonnihil potest esse periculi in externis actionibus, et præsertim in peregrinationibus et missionibus, ad quas maxime Societas, ex vi sui instituti, dicata est, ideo quædam naturæ et passionum moderatio in admissis postulatur, quæ sine nimia difficultate per virtutis exercitium perfici possit. Si ergo juxta hujus rationis vim expendantur omnia, quæ circa hoc ordinantur in c. 2 primæ partis Constitutionum, manifeste constabit veritas assertionis propositæ. Nam in coadjutoribus temporalibus, inter alia, quæ omnibus communia esse debent, specialiter postulatur ut sint sorte Marthæ in Societate contenti, ætate et viribus ad labores corporis, qui in Societate se offerunt, sufferendos præditi, et ut homines difficili admodum ingenio non sint. In cæteris vero, qui ad spiritualia ministeria admittuntur, capacitas ingenii, indoles boni judicii, et sufficiens memoriæ tenacitas postulatur; quoad voluntatem vero, ut universæ virtutis et perfectionis spiritualis studiosi sint, quieti, constantes, et strenui in his quæ ad divinum servitium aggrediuntur; et (quod Societatis proprium est) ut zelum habeant salutis animarum, et de ea causa ad hoc institutum sint affecti. Deinde, in his, quæ ad corpus spectant, imprimis conveniens ætas, quæ, ad hunc primum ingressum, de quo agimus, designatur, saltem decimum quartum annum excedat. Deinde petitur bona valetudo, vires sufficientes ad sustinendos instituti labores, et species exterior honesta, et apta ad ædificationem proximorum, et exoptanda dicitur sermonis gratia, ad agendum cum proximis pernecessaria. De aliis vero externis fortunæ bonis, ut sunt nobilitas et similia, optime adjungitur, nec per se sufficere,

nec necessaria esse, non tamen esse parvipendenda, si aliis adjungantur.

De impedimentis personam minus idoneam ad Societatem reddentibus.

12. *De impedimentis intellectus.*—*De impedimentis voluntatis.*—*De impedimentis corporis.*—*De impedimentis externorum bonorum.*—*De impedimento originis.*—Et juxta hæc (quo secundæ parti tituli hujus capituli satisfaciamus) statim in cap. 3 ejusdem primæ partis Constitutionum impedimenta ponuntur, quæ secundaria appellantur, quia non omnino excludunt, sed personam minus idoneam reddunt, et tot possunt multiplicari, ut nullo modo expediat talem personam admittere. Quædam ergo ex illis ad intellectum pertinent, ut *tarditas ingenii*, aut *defectus memoriæ aut judicii*, quæ intelligenda existimo, quando notabilia sunt, ita ut mediocritatem etiam non attingant. Circa judicium autem prudenter et merito adnotatur, multum posse impedire *obdurationem in proprio sensu*, quia in omni congregatione magnum solet facessere negotium. Quoad voluntatem vero imprimis ponitur *natura difficilis ad virtutem* propter vehementes affectus, qui domari vix posse videantur; deinde *peccatorum habitus* tanta consuetudine obfirmati, ut de illis non magna emendatio speretur. Et huc etiam pertinere existimo, quod ibi subjungitur *de indiscretis devotionibus*, quæ solent esse causa illusionum et errorum; tunc enim hoc habet locum, quando hæc abierunt in consuetudinem inveteratam, a qua difficile quis dimovetur. Tandem additur *defectus actualis dispositionis debitæ*, qualis est intentio non satis recta, vel non satis firma et constans circa status mutationem, et circa affectum ad talem religionem; non enim satis est habere firmum propositum, vel ferventem affectum circa religionem in genere, si circa Societatem in particulari animus sit remissus, vel parum firmus, quia illa non est dispositio satis accommodata ad talem formam; neque ex illa magna utilitas talis personæ in Societate sperari potest. Quoad corpus vero ponuntur defectus contrarii perfectionibus supra numeratis, ut sunt, *debilitas, morbus, notabilis deformitas, et defectus integritatis corporis, vel legitimæ ætatis*, sive per defectum, si sit valde tenera, sive per excessum, si sit nimium proventa, qualis censetur in regulis Provincialis, cap. 4, n. 36, quoad defectum annus infra 15, et quoad excessum supra 50. In quo, cum sit certum, excessum

ætatis nunquam esse impedimentum irritans, si judicium integrum sit, de alio extremo per defectum dubitari potest. In qua re certum est ex hac constitutione, non habere Societatem in hoc speciale impedimentum ex suo proprio jure. An vero jus commune Concilii Tridentini in ea locum habeat, dicemus melius infra, lib. 3, cap. 6, a n. 2. Nam quod attinet ad primum ingressum, certum est nullam definitam ætatem esse substantialem (ut sic dicam), nisi quatenus ad secundum ingressum, id est, ad incorporationem per tria vota substantialia proportionata ætas potest esse necessaria. Tandem quoad externa bona pro impedimento ponitur *res alienum et civiles obligationes*, in quo nihil speciale adjungitur; et ideo, quæ tomo superiori in communi circa hoc diximus, de ingressu religionis ad Societatem prudenter applicanda sunt. De *defectu autem originis* nihil illo loco dicitur. In cap. vero 3 Examinis, inter alia interroganda unum est, *an aliquis ex ejus progenitoribus notatus fuerit, vel declaratus ob aliquem errorem contra nostram Christianam religionem, et quomodo id sit*. Quamvis ergo ex hoc capite non esset tunc positum absolutum impedimentum, semper tamen in consideratione habendum fuit, ut juxta temporum et locorum opportunitatem id fieret, quod cum religionis securitate ad majorem ædificationem judicaretur expedire; quid autem in hoc additum sit, jam explicuimus in cap. 2.

13. *Quid ex parte recipientis requiratur?*—Ex his ergo concluditur, ut receptio in Societate, ex parte recipientis, legitime fiat, supposita potestate, quæ primario in Generali, et per illum in Provincialibus existit, non posse aliam regulam assignari nisi prudentiam. Quia non omnia, quæ explicata sunt, in singulis admittendis simul sunt semper postulanda, neque singuli etiam ex dictis defectibus impediunt semper quominus receptio licite fiat; alioquin difficillimum esset aliquem legitime admittere, quia rarum est invenire homines qui simul omnibus prædictis donis naturæ et gratiæ præditi sint, et nullum ex dictis defectibus habeant. Et hoc significavit B. Ignatius, in fine cap. 2 Constitut., dicens: *Quæ tamen mensura omnibus in rebus teneri debeat, unctio sancta divinæ sapientiæ eos docebit, qui id curæ ad ejus obsequium ac laudem uberiores susceperunt*. Et in fine cap. 3 solum dicitur, quo plures ex dictis defectibus, seu impedimentis secundariis, quis habuerit, eo minus idoneum esse ut in Societatem recipiatur. In

quo clare significatur, non obstante uno vel alio impedimento ex supradictis, posse esse aliquem idoneum, ut non solum valide, sed etiam merito recipiatur. Ac propterea admonetur ibi, qui admittendi facultatem habet, *ne privato affectu duci se sinat*, quia nimirum perturbare solet prudentiæ judicium; ergo supponit dari locum in hoc negotio prudenti arbitrio. In utroque autem loco optima quidem regula in declaratione significatur, scilicet, quando aliquod ex prædictis impedimentis intervenit, vel defectus aliquis in aliquo ex prædictis donis animæ et corporis, attendendum esse an in aliis donis tantus sit excessus, ut secundum rectam rationem talis defectus compensari videatur; sic enim, pensatis omnibus, poterit esse persona idonea et digna, non obstante aliquo simili defectu. Quæ compensatio maxime locum habebit, quando defectus non est in vocatione, quoad intentionem et firmitatem ejus; neque in aptitudine, et docilitate ad virtutem, nam hi defectus de se impensabiles plane videntur, nisi prius per divinam gratiam et liberi arbitrii cooperationem, per nonnullam consuetudinem, seu perseverantiam, corrigantur. Occurrebat autem hic quæstio, an hæc potestas admittendi ad Societatem merito committatur solis Prælati, cum solo consilio suorum consultorum, vel assistentium, vel potius committi debuerit communitati ad plura suffragia, vel alicui congregationi, seu electioni plurium personarum. Ab aliquibus enim in dubium hoc revocatum est, propter consuetudinem aliarum religionum, et propter quemdam Motum Sixti V, de illegitimis. Sed hæc quæstio attingit aliam universaliorem de regimine monarchico Societatis, quod in hoc actu eandem rationem habet, quam in aliis non minus gravibus, et ideo infra in sua generalitate tractabitur. Nunc solum dicimus, ipsummet Sixtum V suamet constitutionem quoad Societatem moderatum fuisse, et post illum Gregorium XIV, in propria Bulla de Confirmatione instituti Societatis, hoc punctum inter alia expresse probasse et confirmasse, dicens, *novitios etiam tam in prima eorum admissione ad Societatem, quam ad scholasticorum vota post biennium novitiatu, juxta Societatis morem, per superiores admittendos esse*.

14. *Quid ex parte recipienti?*—Ultimo colligitur ex dictis, quid ex parte admittendi necessarium sit, et debito modo ingrediatur. Nam, præter ea quæ ex communi ratione assumendi statum religiosum necessaria sunt,

et in superiori tomo sunt notata, nihil fere hic addendum est, nisi ut illa omnia cum proportionem ad talem religionem applicentur; maxime vero ut sincere in examine procedatur veritatem in omnibus aperiendo; solum enim in fictione aliqua huic veritati contraria potest gravis culpa in hoc negotio committi ex parte ingressuri; nam cætera omnia magis spectant ad consilium, ut res adeo gravis meliori modo fiat.

CAPUT IV.

AN RECTE, ET SUB QUA NECESSITATE INTEGRUM BIENNIIUM ASSIGNATUM SIT PRO NOVITIATU IN SOCIETATE.

1. *Ratio difficultatis.* — *Præsentis capituli partitio.* — Pro hac secunda probatione supponenda sunt ea, quæ superiori tomo de novitiatu religionis generatim diximus; solumque explicanda sunt hic ea, quæ in hac parte Societati sunt propria; nam cætera illa, quibus per speciale institutum Societatis non derogatur, servanda in ea sunt, cum ad statum religiosum ut sic pertinere videantur. Supponenda vero est in hac secunda probatione, seu novitiatu, Societatis Constitutio, quæ sic habet in Examin., cap. 1, § 12: *Antequam quis admittatur ad professionem, vel simplicia vota, biennium integrum ad probationem habeat.* Quod in cap. 4, § 16, repetitur. Quod tempus in eisdem capitulis, in 1, § 12, in 4, § 43, prorogari posse dicitur, si nondum plene Societati satisfecerit, ita ut integrum iudicium de illius dimissione vel admissione facere possit. Hoc ergo est unum ex capitibus quod Societati objici solet, eo quod et novum hoc sit, cum antiquissimæ religiones uno anno novitiatus contentæ fuerint, ut ex regula Benedicti et aliis constat. Et sit etiam singularis: nam unus annus novitiatus communi omnium religionum consensu receptus est, et jure antiquo, c. 1, 17, q. 2, et novissimo Concilii Tridentini approbatus. Non ergo debuit Societas in hoc esse singularis. Quæ obiectio multo magis augeri solet, eo quod hæc tam diuturna probatio non censetur in Societate sufficiens ad professiones, sed nova alia postulat. Verum de hac posteriori parte melius infra, in lib. 6, c. 1 et 2, dicemus, disputando de professione; nunc vero de priori solum dicendum est. Duo autem in hoc capite explicabimus: primum, quæ fuerit ratio hujus peculiaris institutionis; secundum, quam sit ne-

cessarium totum hoc tempus, ut secundus ingressus, seu incorporatio in Societate, valida sit, et simul quomodo hoc tempus sit computandum.

Prima pars capituli expeditur.

2. Primo ergo dicendum est, hoc temporis augmentum non esse novum, sed renovatum, et ex antiquitate sumptum. Nam imprimis olim a D. Basilio nullum certum probationis a tempus præscriptum fuit, sed indefinite, tanto tempore dixit probandum novitium, quanto ad illius experimentum, et dispositionem sufficere videretur, ut videre licet in regulis fusiis disputatis, regula 10 et 15. Et similia sumuntur ex Cassiano, lib. 4 de Institutis, cap. 6, 7 et sequentibus; de quo plura infra in citato lib. 6, tractantes de dilatione professionis; nam ad illud punctum magis hæc antiqua consuetudo spectat. Deinde Euseb. Cæsar., inter alia, quæ in Porphyrio refert, de Essæis, lib. 9 de Præpar. Evang., cap. 1, sic ait: *Qui in eam sectam veniunt, non statim, sed posteaquam foris anno integro, eisdem moribus vixerint, tunc suscipiuntur, non tamen omnino, sed propinquius quidem accedunt. Una vero cum illis vivere non licet, nisi duobus aliis annis patientiæ signa dederint.* Et similia refert Josephus, lib. 18 Antiquitatum, c. 2, et lib. 2 de Bello Judaico, cap. 7. Hinc ab antiquis etiam monachis Ægypti servatum legimus, ut per tres annos novitii probarentur, in durioribus operibus exercendi; ex regul. Pachomii refert Nicephorus, lib. 19 Historiæ, c. 14. Et sumitur ex Palladio, c. 38 Historiæ; unde etiam Justinianus imperator, in authentica de Monachis, in Novellis, tit. 10, biennii tempus ad professionem postulavit. Quod docuit etiam Ivo Carnotens., 1 p. sui decreti, c. 153. Et quoad moniales, idem sumitur ex Concilio Aurelian. V, c. 13.

3. *Obiectio.* — Dicet fortasse aliquis, quædam ex his, quæ antiquiora videntur, fuisse forte tunc necessaria propter nimium rigorem religionum vel monachorum illius temporis. Postquam vero rigor ille temperatus est, etiam probationis tempus fuisse ad brevioram mensuram redactum; vel certe illam temporis mensuram non fuisse generalem, sed pro aliquibus casibus vel personis in quibus specialis ratio occurrebat, ut de personis incognitis legitur speciale decretum in c. *Si quis incognitus*, 17, q. 2, postulans triennem probationem, etiam ad receptionem ad habitum, quod tribuit Bonifacio Papæ Gratianus. Idem tamen

tribunt Concilio Toletano Ivo, p. 7 sui decreti, c. 41; et Bureard., lib. 4, cap. 20. Et revera est idem cum authentica Justiniani paulo antea citata, sed ubi in novellis legitur: *Sive servus, sive liber*, legendum est, *sive servus, sive libertus*. Et emendatum est in decreto Gregoriano; et ita constat constitutionem illam non esse universalem, sicut etiam Gregorius, ut superiori tomo vidimus, pro militibus triennem probationem requisivit, etiam ante receptionem ad habitum monasticum, ut habetur in c. ult., d. 53, ex lib. 7 Registri, c. 41, quod amplius restrinxit, lib. 8, epist. 23, ubi prohibet sine suo consensu milites recipi; ibi autem biennium probationis præscribit pro omnibus monasteriis, ut habetur in c. *Monasteriis*, 19, q. 3.

4. *Solutio.* — *In Societate esse speciales causas ad postulandum plus temporis probationis quam in aliis religionibus.* — *Prima.* — *Secunda.* — *Tertia.* — Respondetur imprimis ex hoc ultimo decreto Gregorii multum confirmari Societatis institutionem; nam illud generale fuisse videtur, quamvis Alexander Papa II, in cap. 1, 17, q. 2, referat Gregorium approbasse regulam Benedicti quoad annum probationis, et ideo videatur, aut pro diversis locis, aut in diversis temporibus, hæc statuisse; vel fortasse (quod mihi magis placet, ut citato tomo tetigi) in uno loco requirit biennii probationem ante habitum, in alio vero integrum annum novitiatus, post susceptum habitum. Utrumvis autem sit, si in his omnibus non materialis (ut sic dicam) institutio aut varietas, sed ratio ejus, et finis inspiciatur, ex his omnibus manifeste colligitur, institutionem Societatis, nec novitatis, nec singularitatis notari posse, quia ex illis recte colligitur, ubi specialis causa intervenit, probationem ultra annum in aliquo instituto exigi posse. In Societate vero, considerato fine ejus, et ministeriis, ratio occurrit specialis, et multo major necessitas longioris probationis, quam in aliis religionibus; ergo. Major satis constat ex dictis n. 2. Minor multipliciter declarari potest. Primo, quia Societas, ut lib. 1, c. 7, dictum est, et vitam contemplativam et activam in perfecto gradu proficitur et amplectitur, et ideo necesse habet in utraque parte novitios suos sufficienter instruere, fundare ac experiri, et ideo longius tempus requirit quam unius anni, et ad minimum ad singulas illarum partium singulos annos requirit; merito ergo ad duplicatum officium vitæ, duplicatum etiam tempus probationis postulat.

Quæ ratio amplificari posset, in particulari considerando actiones omnes et ministeria, quibus Societas probat novitios suos; nam inde facile posset intelligi, minus quam biennii tempus, ad hanc probationem non sufficere; sed de hac re dicturi sumus capite sequenti. Secundo probatur, quia Societas ratione sui finis necesse habet, statim post probationem, studiis intente vacare, vel juxta personæ conditionem et capacitatem externis actionibus occupari, et ideo necesse est ut novitii ejus majores radices in exercitio virtutum mittant, et in exercitio etiam orationis plenius instructi, et, quoad fieri possit, assueti et experti sint, alioqui, quæ in eo tempore leviter inchoantur, facile postea remittentur vel amittentur; illud autem sine dubio fieri non potest unius anni tempore, in quo vix incipiunt spiritualia exercitia degustari; merito ergo alter annus additus est, in quo jacta principia robustiora fiant. Quod adeo necessarium esse experientia compertum est, ut ob hanc causam postea in Congregatione 6, can. 5, fuerit prudenter ordinatum, ut post exactum biennium probationis, et post vota scholarium emissa, per alios duos saltem annos sub majori custodia et disciplina juniores contineantur, prout planius fuit subinde præscriptum in ordinationibus contractis c. 13. Tertiam rationem sumere possumus ex alia objectione, quæ contra Societatem fiebat, lib. 1, c. 7 et 9, nimirum, quod non austeram, sed moderatam vitam in exterioribus profiteatur; quanquam enim hoc non minuat perfectionem ejus, supposito ipsius fine, ut ibi ostensum est, tanto vero erit major ejus perfectio, cæteris paribus, quanto carentia hujus exterioris austeritatis alio austeritatis genere magis compensata fuerit. Hoc autem fit per multiplicem probationem Societatis, quæ inter alias est (ut sic dicam) propria austeritas ejus, et magna ex parte exercetur in hac diuturnitate temporis novitiati destinati. Fuitque maxime proportionata tam respectu propriæ religionis, quam respectu æificationis proximorum; quia, cum austeritas corporis ordinetur inter alia ad continendum hominem in officio virtutis, et ad frenandos sensibiles affectus ad propriam perfectionem et conservationem in virtute, necessarium fuit diutius probari et fundari in solidis virtutibus (ut B. Ignatius frequenter loquitur), et in interna et externa mortificatione affectuum, et sensuum omnium, ut postea sine tanto periculo possent in Societate vivere, non obstante illa mediocritate in ex-